

Caspar Matthäus Müller


Programma Qvo Solennitatem Paschalem Rector Academiae Rostochiensis Casp. Matthæus Muller D. & Profess. Publ. Civibus Academicis pie meditandam sistit

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingii, [1700?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838728694>

Druck Freier  Zugang






Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838728694/phys_0001

Mecklenburg
Vorpommern







● entsäuert

*M. b. h.
2956*







C
P
J
C

PROGRAMMA
 QVO
 SOLENNITATEM
 PASCHALEM
 RECTOR
 ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
 CASP. MATTHÆUS
 MULLER
 D. & Profess. Publ.
*Civibus Academicis
 pie meditandam
 sistit.*



Rostochl
 Typis JOH. WEPPLINGII Univ. Typogr.

1701. 0



I. N. J. A.



Estum hodie celebramus, *Cives Optimi!*
quod solennitate & gaudiô superat omnia
alia, quæ per totum annum nobis sacra sunt.
In Veteri olim Testamento tria solemnna
festa à Judæis observari præceperat Deus
Exod. XXIII. 14. scq. nimirum Pascha in
memoriam liberationis ex Ægypto Exod. XII. Et hoc
erat primum. Festum Pentecostes in memoriam datæ legis
in monte Sinai Deut. XVI. quod erat secundum, & hoc ex-
cipiebat tertium, festum nimirum scenopægiæ, seu Taber-
naculorum in memoriam habitationis in deserto per annos
quadraginta Levit. XXIII. Erat tamen festorum horum
summum, festum Paschatos, quod propterea per antono-
masiam vocatur dies solemnus Luc. II. & dies magnus Jo.
XIX. 31. In quo ob solennitatem hanc ab ascensu in
templum excusabatur nemo, quamvis in aliis duobus fe-
stis propter causas legitimas excusarentur. Tale igitur
est Festum Resurrectionis Salvatoris nostri Jesu Chri-
sti, quod in Novo Testamento respondet festo Paschatos
veteris Testamenti. Festum, ut jam dixi, quod solennita-
te & gaudio superat omnia alia quæ per totum annum
celebramus; Reddit autem hoc festum tam solenne insignis
illa Victoria resurgentis Salvatoris nostri supra omnes
suos hostes: Festo Nativitatis aspiciebamus Salvatorem
nostrum in summa miseria lacrymis & paupertate mun-
dum hunc salutantem, sanguine in circumcissione falso
infantiam suam initiantem, ob Herodis insidias profugum,
uno verbo: aspiciebamus tum Salvatorem nostrum Statum
illum miserrimum Exinanitionis suæ ingressum. Jam verò
hòc Resurrectionis & Paschatos festo videmus Salvato-
rem nostrum in sua gloria, videmus eum è statu miserrimæ
Exinanitionis in statum gloriosissimæ Exaltationis in-
gressum

gressum, videmus eum non amplius hostibus succumben-
tem; sed jam super hostes triumphantem. Triumphan-
tem dico, non ante certamen, non ante victoriam; sed post
certamen egregia cum victoria ac gloria, Deo sit æterna
laus! finitum. Romæ quondam bello, quod nullâ qui-
dem pactione componi poterat, sed inexpectata Othonis
morte subito concidit, Victor Vitellius antequam vidisset ho-
stem, victoriæ per vanitatem ostentandæ deforme elegit i-
nitium, honorem Asiatici liberti. Fœdum id mancipium,
& malis artibus ambitiosum, primò imperii die, gau-
dioq; & gratulatione victoriæ, equestri dignitate donavit,
non jam ministro imperii deinceps sed arbitro usus,
quem omnis honesti ordinis maculam, & sciverat & di-
xerat. Ceterum spargit legiones, exarmat cohortes, no-
va quotidie bello femina ministrat. Ne quid dicam de lu-
xu & ignaviâ quæ solemnia Vitellio vitia non decus mo-
dò incipientis imperii inauspicata macula fœdârunt; sed
præsidia securitatis enervatis militum viribus & soluta di-
sciplina, quæ vis Romana præcipuè stetit, plurimum cor-
ruperunt. Longè aliâ ratione triumphum agit, & victo-
ria utitur Leo ille de tribu Judæ Apoc. V. s. Victor ille ab
Edom, sine sociò & sociâ qui antea torcular iræ divinæ cal-
caverat, Ecclesiæque suæ cruentam suam vestem, quæ
velut triumphali brabeâ indutus est, ostendens sanguine
adhuc conculcatorum hostium madefactus, speciosis pas-
sibus incedens, triumphantium more, qui calidas adhuc mi-
nas spirant, & spumant ab exantlato labore ac certamine.
Quemadmodum hac in facie gloriosâ Ecclesiæ se Victor
hicce præsentat Jes. LXIII. 1. seqq. adeoque gloriam hanc
suam non cum apparatu vanæ fœdæque ostentationis;
sed per venerationem operis humani generis conscientiæ
infundit, ut cum Ecclesia admirabundi exclamare debeat-
mus. Quis ille ab Edom veniens vestibibus purpureis, &

in tanta virtute, tantoque cum robore incédens? Sic autem triumphavit quam primum è mortis somno triduo evigilavit leonum more, de quibus experientia testatur, quod statim ac è somno suo evigilent, ad prædam prodeant & quamcunq; bestiarum primò intuitu offendunt, illam aggrediantur, vincant & devorent, ad nullius enim animalis pavent occursum, & in prædâ quærendâ sunt indefessi. Sic Salvator noster Leo ille de Tribu Juda fortissimus vere evigilavit ut Leo, postquam per biduum jam in sepulchro dormiverat. Evigilans vero continuo ad prædam descendit, hostibus suis fortiter ac generose obviam procedens, eosdem prosternens, insignemque de illis victoriam assequitur. O solemnem! O peregregiam! O plane incomparabilem victoriam. Celebris quondam erat victoria Israëlitarum super Jabin Cananitarum Rege, ita ut à Debora & Barak filio Abinoam egregiò celebraretur hymnò Judic. IV. & V. Solemnis quondam fuit victoria Davidis de Goliathe Israëlitarum hoste horrendo, ut summa etiam cum solemnitate mulieres ex omnibus Israëlitarum urbibus saltantes ac exultantes canerent: Saul prostravit millia, David decem millia 1. Sam. X. 7. Festiva quondam fuit Constantini Magni primi Christiani Imperatoris victoria supra Maxentium ejusq; affectas, quos per Christum crucifixum debellaverat Constantinus M. pius Imperator, à qua Victoria omnis Christianorum pendebat salus, quorum templa vicissim à fundamentis restaurabantur, eorumq; Episcopi, ac Ecclesiarum doctores libertatibus honoribusq; magnis donabantur, præsertim contumelias pro Christo passi. Hinc factum, ut referente Eusebio lib. 10. Hist. c. 1. 2. & 2. gratiæ Deo publicè ab omnibus ingenti cum jubilo magnisque pompis actæ. Multo solemnior autem hæc ipsa Salvatoris nostri est Victoria, à qua non temporaria saltem; sed spiritualis omnis ac æterna Christianorum pendet

pendet salus. Quam solemnis autem ob Victoriā, tam
festivus quoque hic Resurrectionis dies ob incomparabi-
lia gaudia ex tam solemnī Victoriā orta. Sic enim
hic omnis luctus, omnis tristitia, omnis miseria abest, ac pœ-
na, contra omnia gaudiō ac tripudiō plenissima. Non ineptè
doctissimus Jesuita Francisc. Labata in Thesaur. Moral. Tom
1. p. 652. diem hunc Resurrectionis absolute diem Domini vocat.
Sic enim, ait, quicquid in eo est à Domino Deo est. In aliis Christi
festivitatibus aliquid nostrum reperies, quia semper in illis ali-
quid miscetur pœna. Pœna vero non à Deo, sed à nobis ortum ha-
bet. Latus quidem Nativitatis Christi Domini dies. Sed ibi Vagitus
audies; vagit enim infans inter arcta conditus praesepia! Dies cir-
cumcisionis latus, in eo quippe nomen Jesu datum est Christo, no-
men, de quo sponsa: Oleum effusum nomen tuum; at ibi dolor cir-
cumcisionis invenitur. Latus Epiphaniæ dies; Sed inter aurum
& thus ibi oblata myrrham amarā mortem pueri annuncian-
tem videmus. Latus item fuit dies transfigurationis Christi, &
quamvis omnia ibi adeo lata viderentur, ut Apostolus Petrus in
monte illo propterea manere optaret; nihilominus agebatur ibi
de excessu, quem completurus erat in Jerusalem, hoc est, de pas-
sione ac morte Christi acerbissima. Ecce in huiusmodi festis sem-
per aliquid pœna admiscebatur, & sic semper nostrum in eis in-
veniebatur: at in Resurrectione Christi omnia divina, lata omnia,
gloriā & gaudiō plena sunt & sic omnia divina nihilq; ex mise-
riis nostris: Unde merito hic dies est, quem fecit dominus, exul-
temus ergo & latemur in eo. Quidni latemur & valde, cum
illuxerit nobis tunc dies reparationis nostræ, dies salutis, dies de-
niq; glorificationis nostræ, quæ in capite nostro initium sumsit.
Et quidni hic dies planè singularis dies foret lætitiæ cum
jam impletum quod tamdiu ante vaticinatur David Psalm.
CXVIII. Canitur cum gaudio de Victoriā in tentoriis iustorum.
Manus Domini est exaltata, manus Domini obtinet Victoriā &c.
Et hæc omnia piam quoque Antiquitatem maxime moverunt


ut præ aliis festis hoc festum solemnne habuerint. Sic enim Gregorius Nazianzenus *μεγίστων ἡμερῶν, dierum maximam* & *ἐοσιῶν ἐοσιῶν festum festorum* Pascha Novi Testamenti vocavit. Augustinus illud *festorum omnium caput* salutavit. Pius Bernhardus *festum omnium letissimum* laudat, ut ejusmodi encomia plura alia Antiquitatis hâc vice taceamus. Ita veteres hoc festum non tantum summis encomiis præ aliis festis mactârunt: verum etiam summâ cum solemnitate, idem illud præ aliis festis celebrârunt, multasq; prærogativas eidem assignârunt. Ita & Adversarii nostri Pontificii morè suo, quo in externo cultu magnum splendorem quærunt præiens Paschatos festum summa cum solemnitate celebrant antonomastice festum hocce solemnitatem solemnitatum vocant, & in eo omnia lætitiæ insignia proponunt. Templū mundatur & ornatur in parietibus, quæ in eis cortinæ & pallia extenduntur & banchalia disponuntur. Velamen etiam, quod erat ante crucem vel in altum dirigitur, vel removetur vel retro altare ponitur, ad notandum quod prius occulta, modò sint manifesta; altare quoque suis ornamentis decoratur, vexillis scilicet, quæ significant victoriam Jesu Christi, crucibus & aliis. Ministri quoq; ad decorem hujus solemnitatis se balneis prælavant, barbas & coronas tondunt, capillos deponunt, ut & vestes, sive cappas nigras, & albas induunt, quæ licet ad decorem fiant, ad spiritualem, quoque hominem, ut præ se ferunt, referuntur. Solemnitas ut sit major hodie quoq; agnus cereus à sacerdote benedicitur, benedicitur quoque lac & mel in memoriâ ejus quod dicit Dominus Patribus nostris Abraham Isaac & Jacob, *introduc am vos in terram fluentem lac & mel.* Nemo etiam debet unquam hodie aliquid comedere nisi prius saltem signo crucis facto. Salutant se quoq; hoc modò: resurrexit Dominus, & salutaris debet respondere: Deo gratias, vel: & apparuit Simoni. Et postea dant osculum ad invicem in signo pacis & charitatis. Pontifex hac die missam celebraturus Cardinales, Prælatos, notarios & familiares suos hoc modo salutatur & osculatur. vid. Gulielm. Durand, in Rational. divinor. Officior, l. 6, cap. 86.

fo. Si

sq. Sic & nobis, Cives Academici Honoratissimi dies hicce festivus;
femorâ tamen omni superstitione, sit solemnitas & sacer, sit & no-
bis festum festorum, solemnitas solemnitatum. Sit nobis *dies la-
tina*. Gaudete Cives! lætissimô hõc tempore & quidem in Domi-
no vestro Salvatore vestro, & Victore vestro, qui pro vobis hostes
vestros omnes oppugnavit, devicit & triumphum super eosdem
egit. Acclamo vobis autem cum Anselmo in Philipp. IV. 5.
ut lætitia vestra sancta sit divina non autem mundana: *Gau-
dete, hoc est, cor vestrum exhilarate in Domino & non extra Domi-
num: tristitia seculi nullum in vobis locum habeat. Sed totos læti-
tia spiritualis vos repleat & gaudete in Domino semper sive in prosperis
sive in adversis & non semel hoc dico, sed iterum ut gaudeatis in Do-
mino & non in seculo. Sicut enim nemo potest duobus Dominis servi-
re, sic nemo potest in seculo & in Domino gaudere; contraria enim sunt
hec duo gaudia; nam seculi gaudium est impunita nequitia, luxuriantur
homines, in spectaculis nugentur in crapula & ebrietate & hoc non impedi-
at fames non bellum, vel alicujus rei timor, non morbus aliquis, non ad-
versitas; & sint omnia redundancia in pace carnis. Vos autem gaudete
non in his, sed in Domino, hoc est, in equitate & veritate, non in flore
vanitatis, sed in spe æternitatis, ut videant homines modestiam conver-
sationis vestre ut exemplo vestro discant agere modeste. Multi qui-
dem diebus festis gaudent, sed non de veritate, verum de va-
nitate, unde recte Bernhardus: gaudent in vestibis pretiosis, in con-
vivis & commensationibus Epicuriis in nugis & ludis & prorsus mun-
danis rebus. Hoc quidem non est à Christi resurrectione gaudere: Sed
potius Christi Resurrectionem irridere. Nos qui Christiani voca-
mur, & Christiani quoque esse cupimus, aliter gaudebimus festi-
vò hoc tempore vetus scilicet fermentum expurgantes, ut simus
nova massa, & feriemur non in fermento antiquo sed in azy-
mis sinceritatis & veritatis 1. Cor. V. 7. seqq. sit & nobis dies hic
dies resurrectionis, quo spiritualiter cum Christo resurgamus ex
morte peccati, ex somno securitatis & malitiæ. Sicut enim Chri-
stus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in novitate vitæ
nos ambulemus Rom. VI. 4. seqq. Non enim decet in peccatis dor-
mire ac jacere cum Christus ex morte evigilavit ac resurrexit,
mortiq; potestatem omnem demit. Rectissime jam suò tempore
adversus ejusmodi peccatores Zelum suum ostendit Bernhardus
Serm. 1. de Resurrect. Dom. *Proh dolor! inveniens peccandi tempus
terminus residendi, facta est resurrectio Domini. Ex hoc nempe commens-
ures**

faciones, ebrietates redeunt, cubilia, & impudicitia reperuntur & laxantur concupiscentia frana quasi ad hoc surrexit Christus & non magis propter justificationem nostram, sic honoratis miseri Christum quem suscepistis, Ex Somno hoc evigilare ex morte hac resurgere Christiani ratio postulat, exigit presentis festi solennitas, quæ memoriam Resurrectionis Dominicæ menti nostræ sistit. Sit hic dies resurrectionis & victoriæ Domini dies spes, qui nobis spem supeditet, fore ut & nos in Christo Victore ac Triumphatore nostro hostes nostros omnes simus devicturi, De Johanne Austriaco Governatore Belgii memoratur, quod in vexillo gesserit signum Christi crucifixi cum hæc verbis: in hoc signo vici Turcas, in hoc signo vincam Hæreticos, ita & vos dicite, in hoc signo vicit Christus, in hoc signo vincemus & nos, carnem nostram, mundum, imo ipsum diabolum cum omnibus ejusdem asseclis. Christus enim, ut recte monet Bernhardus, est signum triumphale, Christus signum victoriæ, Christus signum gloria, quia nobis ille pugnavit, nobis ille vicit, nobis paravit victoriæ & triumphum. Imo & spem hic habemus futuræ Resurrectionis nostræ gloriosæ. Quemadmodum enim Christus ex sepulchro prodiit, ita & nos tandem aliquando cum summa gloria è sepulchro nostro prodituri sumus. Granum frumenti, quod solum in terrâ mortificatum est, in passione, multum fructum acculit in Resurrectione solus enim mortuus est; sed solus minime resurrexit, dicit Augustinus serm. posit. Et inter hos fructus quoque est resurrectio nostra ex sepulchris nostris, cujus vas & obses est Christi Resurrectio, ut loquitur Theodoretus in 1. Cor. XV. Et quod præcessit in capite sequetur in membris ut iterum loquitur Augustinus lib. 2. de Trin. c. 1. 7. Denique sit hæc dies gratitudinis, quo Salvatori nostro grates decenter agamus, quod nostri causa hostes omnes debellaverit, ac devicerit. Non enim levia sunt Victoriæ hujus beneficia, nec ulla lingua Christe digne hæc tua beneficia eloqui, nulla mens illa complecti potest. Præstemus nihilominus quæ possumus, & balbutiente nostrâ linguâ tamdiu laudes nostras canemus, donec tandem aliquando linguâ Angelicâ cum cœlitibus omnibus canere poterimus: Dignus est Agnus occisus, qui accipiat potentiam & divitias & sapientiam & robur, & honorem & gloriam & benedictionem ex Apoc. V. 12. sit nomen tuum, O dulcissime Salvator, benedictum in Seculorum Secula.

PP. Sub sigillo Restoratus ANN. MDCC. I. Feria Paschali



Barcode
nicht
vergeben!


21720


↓


5

33

LBMV Schwerin
004 132 769







the scale towards document

Academici Honoratissimi dies hiee festivus
 iuperstitutione, sit solemnus & facer, sit & no
 olemnitas solemnitatum, Sit nobis dies la
 latissimô hôte tempore & quidem in Domi
 estro, & Victore vestro, qui pro vobis hostes
 navit, devicit & triumphum super eosdem
 is autem cum Anselmo in Philipp. IV. 5.
 a sit divina non autem mundana: Gau
 um exhilarate in Domino & non extra Domi
 ullum in vobis locum habeat. Sed totos lati
 eat: gaudete in Domino semper sive in prosperis
 semel hoc dico, sed iterum ut gaudeatis in Do
 Sicut enim nemo potest duobus Dominis servi
 culo & in Domino gaudere; contraria enim sunt
 ali gaudium est impunita nequitia, luxurientur
 genitur in crapula & ebrietate & hoc non impedi
 ali alicujus rei timor, non morbus aliquis, non ad
 dundancia in pace carnis. Vos autem gaudete
 ino, hoc est, in equitate & veritate, non in flore
 mitatis, ut videant homines modestiam conver
 plo vestro discant agere modeste. Multi qui
 udent, sed non de veritate, verum de va
 rnhardus: gaudent in vestibus pretiosis, in con
 bus Epicuritis in nugis & ludis & prorsus mun
 em non est à Christi resurrectione gaudere: Sed
 tionem irridere. Nos qui Christiani voca
 oque esse cupimus, aliter gaudebimus festis
 scilicet fermentum expurgantes, ut simus
 mur non in fermento antiquo sed in azy
 itatis 1. Cor, V. 7. seqq. sit & nobis dies hic
 o spiritualiter cum Christo resurgamus ex
 mo securitatis & malitiæ. Sicut enim Chri
 s per gloriam Patris, ita & in novitate vitæ
 . VI. 4. seqq. Non enim decet in peccatis dor
 hristus ex morte evigilavit ac resurrexit,
 omnem demit. Rectissime jam suo tempore
 peccatores Zelum suum ostendit Bernhardus
 Dom. Prob dolor! inqviens peccandi tempus
 haest resurrectio Domini, Ex hoc nempe commes
 nes